



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Rei Poenitentis Simplex Et Hvmilis Confessio**

**Coloniae Vbiorvm, 1645**

CAP. XXXVIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10133**

exemplo, discerent homines, quid sit periculi, Deum contumeliis afficere ? Sed, quæ te misericordia, ut pro crucifixoribus tuis exorares, adegit, eadem, ut mihi, malum coram te facienti, parceres, impulit. At ego inventus sum crucifixoribus tuis longe deterior : nam illi à notitia divinitatis tuæ aberant ; si enim te cognovissent, nunquam Dominum gloriae crucifixissent : at ego te, Deum verum, de Deo vero genitum, in utero virginis conceptum sine virili semine, crucis patibulum subiisse credo, atque profiteor. Sed, qui paratus eras, illis ignoscere, si poenitentiam egissent, idem paratus eras mihi parcere, si in spiritu humilitatis, & in animo contrito, meum improbissimum factum detestarer.

## C A P . XXXVIII.

**N**EQUE illud postea, ad me reversus, non improbabam ; immo, ejus magnitudinem cum animo reputans, dolebam, flebam, clamabam, Quid feci miser ? quid commisi ? itane projectus fui ad audendum ? peccavi peccavi, Domine ; miserere miserere. & erat mihi dolor meus in conspectu meo semper. neque tamen recedebam à via mea mala ; quia nondum id à te impetrabam ; nondum te propitio placatoque utebar. O infirmas hominum vires, inanesque conatus ! quam bene de se David, suæ conscius infirmitatis, ajebat, Quis consurget mihi adversus malignantes ? aut quis stabit tecum adversus operantes iniquitatem ? Incipiebam ad te reverti, sed statim à cupiditate mea revocabar ; conabar exurgere, sed statim meo oppressus pondere deprimebar ad ter-